





Q  
 PRORECTOR  
 ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
**DIOGO THOFREDVS**  
**BERGERVS**  
 POTENTISS· POLON· REGIS ET PR· ELE  
 CTORIS SAX· ARCHIATER, COLLEG  
 MEDICI SENIOR ET PROFESSOR  
 PRIMARIVS

**CIVIBVS ACADEMICIS**  
 S P D

55

**D**iuinus est hominis animus, eamque uim,  
non ab infirmitate concretionis mortalis, sed a  
coelesti ductam origine, non leuiter declarat cogitatio-  
num tanta et multitudo, et magnitudo, et uarietas celeritasque,  
quantam non sine admiratione magni Opificis recogitamus. At  
uitio sit humanae, et excellentiae pristinae corruptela deprauatae, in-  
dolis, ut mens nostra, non delibata ex diuinitate, quod inconsul-  
tius dixit Pythagoras, sed diuini auctoris immortalis beneficio da-  
ta, duobus laboret morbis, improbitate et imperitia, quemadmo-  
dum non temere sensit Plato, percupidus, et, quoad philosopho,  
diuinae lucis experti, licuit, perspicax naturae huius explorator.  
Tanto minus aut dedecet, aut suppedet sapientes, qui caussas u-  
triusque mali scrutati sunt, omni studio curaque prouidere, ut ob-  
stetricum partes suscipiant, et animo parturienti, ac laboranti, sic  
opera consilioque succurrant, ut uel uirtutis, uel doctrinae, par-  
tus ne elidatur. In quo nauati studii genere nominandi forent  
complures, iique multo praestantiores, sed e propiorum memoria  
temporum, propter opuseuli inscripti conuenientem recordatio-  
nem, referantur duo, Paganinus Gaudentius, et Emundus Riche-  
tius, alter in Italis, alter in Gallis oriundus: quorum hic Obstetri-  
cum animorum, ille Obstetricum literariam scripsit, et edidit, uter-  
que sic partitus operam uideri poterat, ut huius consilio ingenii  
ager uirtutis, et sapientiae, semen excipiat, et gremio mentis sub-  
actum teneat, illius autem opera mens, ingenti, ut ait ille, flumine  
literarum inundata, concipiatur, et edat partum, ad maturitatem per-  
ductum. Permagno refert, ne cum imperita multitudine nugas  
agamus, et fabellis, quas audit, miratur, et obliuiscitur uulgs,  
ducamur, cum tradit nobis sapientia ueterum, ex Iouis capite Mi-  
neruam, ex maris spuma Venerem prodire, Apollinem uero illum  
Callimachium perdifficili Latonae partu procreari. His enim in-  
tegumentis, norunt priscarum non rudes literarum, uirtutis pari-  
ter, ac uitii, sapientiae, et doctrinae, cultusque omnis, quem ca-  
piat hominis animus, ortum occultari. Habent uirtus et sapientia  
ortum diuinum, et Deum, in quo numeros absoluunt omnes, atque  
a quo proficiscuntur in hominum genus, auctorem praestantia sua  
testantur: sed hoc difficilius utraque paritur, quo maior, et pul-  
chrior est, cum facultatem reminiscendi bona animi Socratus ille  
sapiendi magister facilis, et iucundius, memoret, quam uel pro-  
bet, uel exponat. At animi libido, et temeritas agendi, tam alte-  
peti non debent, ne a fontibus tam puris, et limpidis, riuuli, fece-  
sordibusque terrenae molis et labis inquinati, et turbidi, ducantur:  
sed

sed uel e spuma, et purgamentis, humanae fragilitatis nascuntur, et cum quisquiliis eiiciuntur. Tinctores intueri iubebat Basilius, meritis, et appellatione nominisque elogio, Magnus, quos uideamus pannos detergere et purgare, et humoribus, uaria arte confectis, imbuere et praeparare, iis demum inducere, quos uelint, colores. Non est animus tabula tam rasa, ut nullas habeat insignitas, naturaque impressas, Conditoris sui, nullas honesti et turpis, nullas rerum communium, naturaque cognitatum, notiones. In hac tamen, ut ita dixerim, cera, nemo ignorat, quae capita pristinae sanctitatis, et perfectionis, ultimorum Aboriginum culpa, ex puncta sint atque deleta, adeo ut animus, amissa pulchritudine priori, non solum abstergendus, et repurgandus sit a maculis uitii, atque inscitiae, sed nouis etiam coloribus, qui ex uirtute, et sapientia non infucata, ducantur, imbuendus et exornandus, quo perditu decoris speciem formamque, quoad fert mortalis conditio, recuperet, et sui perficiendi facultatem, quam ipse non habet, aliunde consequatur. Tantae rei argumento non sufficient nec Pythagorae numeri, nec Socratis Platonisue philosophia, de coelo, ut aiunt, deuocata, neque Aristotelis acumen et disceptatio, sed in primis opus est Paullis, diuino afflato excitatis et institutis, qui doceant ex abdito Numinis sensu, quid inter diuinam, corruptamque hominum sapientiam intersit, ut sapientiam distinguamus a stultitia, in quo alioqui studio Rex, post hominum memoriam sapientissimus, tantum laboris, ut ipse fatetur, consumpsit. Est tamen suus et ceteris relinquendus hic locus, Theophrastis, inquam, Chrysippis, Plutarctis, et omnibus, qui ingenio, labore, doctrina, rerum usu, praestiterunt aliis, curamque suscepserunt uirtutis, et sapientiae, in hominibus instaurandae. Quot hic grauium, peritorumque doctorum institutiones, totidem nominauero animorum, obstetrices, quae uelut nascentem foetum manu educant, excipiunt, et complectantur, inuolutum uinculis membranularum, et fasciis naturae soluant, atque ad hauriendum primum uitae spiritum emittant, crux cordibusque contaminatum, abluant et purgent, ne cruenta amplius moles, sed ut hominis uultus et imago appareat, quae item matris, et altricis, uberibus lactandum admonueant, linteis et fasciis molliter, ne qua tenello corpori uis inferatur, diligenter tamen, ne membra turpius detorqueantur, uinctum et implicitum, componant in cunis, et traditum sacro fonti, receperuntque, referant ad matris gremium, et parentis curae commendatum, relinquant aliquandiu, mox ad eum, priori cautione studique curandum, redeant, interdum ipsae lac praebent, et laetentur crescente, et adulto membris, rectis, et sanis, ac grauiter educato gloriens-

glorientur. Adeo boni, doctique, viri, qui curae praesunt animorum, nullum munus praetermittunt, ingenii uel suscipendi, uel expoliandi, uel alendi augendique, uel industria singulari, ne quid uitii contrahatur in moribus studiisque, curandi, uel utcunque fo- uendi, atque ad capellandas dignitates ornandi. Ut mihi quidem hic demum homines, quod in aede Delphica solebat hospitibus clamare sacerdos, uideantur heri, ubi in curandis, entriendis, educandis, et exor- nandis, animis atque ingenii operae matris, obstetricis, nutricis, alioqui ministerio diuisae, non tenui bonitatis, meritorum exemplo, coniunguntur. Cuius quidem generis merita cum ipsis quoque sexui sequiori alterat historia mulierum philosopharum, Hypatia fane potius aliqua Alexandrina, quam IVSTINA SIGISMUNDIA, ortu DIETERICA, in hunc censum cooptanda uideatur: bona tamen uenia ipsius Iustinae, quae maluerit, si ui- uae data fuisset optio, parturientibus, non solum illustribus, sed etiam principibus feminis, atque adeo ipsis interdum reginis, opem ferre, et coli passioni in aulis, praemissaque cumulari, quam hunc ex fama doctrinæ suæ fructum capere, ut, conslati aliorum odiis, detrahatur ex curru, exuat- tur uestibus, testarum fragmentis enecetur, et membrum concisa, u- stuletur, quod miserum luctuolumque Hypatiae fatum legimus relatum. Quod si Hypatia animi, tamen nostra corporis obstetrix talis esse uoluit, quae uia partu laborantibus operam darer, ut mortua liberalitate sumtuque subleuaret ingenia, et annuis studiorum subsidiis indu- striam confirmaret. Obstetricis nomen viris fere spretum, mulieribus, propter necessitatem, maioris aestimatum cultumque est, ita tamen, ut, obstetricis alienigenæ memoriam anniversaria oratione, in eruditorum concione, recoli, quibuldam graue, et uix ferendum, aliis fere ridiculum, uideatur. At obstetrix animorum apud nos erit pii moris femina, quoad impensis animi cultum iuuerit, ob eamque rem tan- tum abest, ut illius nos pudeat, ut eius honor apud nos, et posteros, ab elegancia moris, splendore, et pompa, quarum rerum inanis est re- cordatio, non alio, quam maioris beneficentiae, in literas conferen- dae, exemplo superari possit. Aequius uirtuti, qua laudes hominum me- tiendae sunt, pretium statuet M. IO. SAMVEL BANDECO, Iuuenis ex- citati ad accumulationem paternæ gloriae animi, idemque exploratae in diui- nae humanaeque sapientiae studio doctrinæ, et annuntiet, ut doctae, et cul- tae, quam composita, orationis recitatione laudes, memoriae percepti be- neficii tribuendas, non dissimulet quidem ingratus, ea tamen expromat, quae neque aliena sint ab huius dicie celebritate, neque audientibus argumenti delectu fastidienda. Vos noltis, CIVES, quid ab eruditissimo, et dicendi fa- cultate non mediocriter instructo, Iuuenis sit expectandum: meminitis etiam, quantum maxime Reuerendi Patris merita, et ornamenta, a nobis publice priuatumque collaudentur. Reliquum est, ut crastino die, hora X matutina, seponatis aliquantum occupationes alias, atque ad Oratorem no- stratem, quem amare soletis, iucunde utilique ratione audiendum, in locum publicum, et solemnem, qui Maioris Auditorii nomine distinguitur, luben- tes, frequentesque uos conferatis. P. P. Dominica XXVI TRIN

Ung VI 3

10 18  
13 17



B.I.G.

Farbkarte #13



**RECTOR  
VITEMBERGENSIS  
THOFREDVS  
RGERVS  
DOLON·REGIS ET PR·FLE  
ARCHIATER, COLLEG  
NIOR ET PROFESSOR  
PRIMARIUS  
ACADEMICIS  
S P D**